

F. N. 56. (33)

X 2047354

Z 6
2910

Ad
ORATIONEM
parentalem

in obitum

*VIRI SUMME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLISSIMI
ATQVE EXCELLENTISSIMI,*

**DN. MARTINI
GEIERI,**

S.S. Th. Doct. celeberrimi, Serenissimo Saxon.
Electori JOH. GEORGIO II. gloriosissimæ recorda-
tionis, à Concionibus aulicis primariis, Confessionibus Sacris, & Consiliis Ec-
clesiasticis, Theologi de Univerſa orthodoxa Ecclesia Christi me-
ritissimi, Ἐν ᾧ ἐν ἀγίοις,

craftino die XII. Septembr. Horâ VIII. matutinâ


post peracta sacra, in Collegio Majori Principp.
habendam,

Magnificum Academiae Rectorem, utriusque
Reipubl. proceres, ac cives Academicos

humaniter, & officiosè invitat

**COLLEGII THEOLOGICI
DECANUS
GEORGIUS MOEBIUS**

Th. D. & Prof. Publ.



X

Ad

ORATIONEM

patronalem

in

NRI SUMME REVERENTIAE MAGNIFICI AMPLISSIMI

ATQUE EXCELLENTISSIMI

DN. MARTINI

GEIERI,

SS. Th. Doct. celeberrimi, serenissimo Saxoniae

Electori JOH. GEORGIO II. illustrissimus records-

toris, & Concionibus suis singularis, Consistorii, & Consilii Ec-

clesiasticae, Theologiae, Historiae, & Juris Praeceptoris, &

Magistri in Theologiae, Juris, & Medicinae

post peracta facta, in Collegio Majori Principis

habentibus

Magnificum Acaedemice Reclorum, utriusque

Reipublicae, ac Civis Acaedemice

Universitatis, & officiorum

COLLEGII THEOLOGICI

DECANUS

GEORGII MOEBII

Th. D. & Prof. Publ.



Itam æternam misericordissimum Deum omnibus verè credentibus ex gratia, & non ob operum merita daturum, ex Scripturâ S. est manifestum. De hâc re ergò utpote satis plana jam non disquiramus. De ipsius autem vitæ æternæ gradibus quædam proponere libet. Quæstio inter Theologos scitu, & observatu digna ventilatur: *An in vitâ æterna futuri sint certi gradus beatorum, ita ut nonnullis major gloria sit conferenda, quàm aliis?* Affirmativa non tantùm Orthodoxis, sed etiam Pontificiis, & plerisque Calvinianis probatur, verùm diverso sensu. Pontificii enim contendunt, *ratione Essentialis beatitudinis alios aliis in vita æterna fore beatiores.* Ita Gregor. de Valent. Tom. I. Comm. in Thom. p. 235: *Ex fide est illa assertio, alios majorem beatitudinem accepturos, quàm alios, atque adeò posse DEUM magis & minus perfectè videri intellectu creato pro diversitate luminis gloriae, quod quisque magis vel minus participabit juxta proportionem charitatis, quam habuerunt in hâc vita.* Becanus in Append. Tract. de Purgator. Calvinist. c. V. p. 79: *Sicut non omnes habuerunt æqualia merita: Sic non omnes habent æquale premium, quod in essentiali beatitudine consistit, id est, non omnes æquè, clarè, & intensè Deum vident, & consequenter non omnes æquè intensè eum amant, nec æquale gaudium de illo viso, & amato percipiunt.* Cornel. à Lapid. Comm. ad Cap. XII. Daniel pag. 1401: *Majorem gloriam habebunt docti, & Doctores, quàm plebei rudes, & indocti, non tantùm Accidentalem, sed etiam essentialem.* Eum ob finem fingunt etiam aureolas, vel laureolas, quarum quasdam virginibus, quasdam Martyribus, quasdam Doctoribus diverso tamen colore exornatas, imponendas statuunt, de quibus vide Jacob Bayum Prof. Lovan. in Instit. Relig. Christ. l. i. c. 373. p. 428, edit. Colon, A. 1620, Sotum 4. sent. dist. 49. quæst. 5. art. 2. & Cornel. à Lap. c. l. p. 1401. seqq. Sed hæc sententia est falsa, & directè contradicit scripturæ, quippe quæ verè piis, & credentibus *unam beatitudinem, unam vitam æternam, & unum Essentialiale premium, DEI scilicet visionem, promittit, 1. Cor. XIII. 12. 1. Job. III. 2.* Si igitur ratione Essentialis beatitudinis alii aliis futuri essent beatiores, tunc sequeretur, imperfectionem quandam gaudiorum in vita æterna apud beatos locum habere, id quod falsum. Scriptura enim omnem Imperfectionem ab illis removeret 1. Cor. XIII. 10. Distingvimus itaque hîc *inter beatitudinem essentialem, quæ consistet in visione, & fruitione Dei, ac omnibus electis erit communis, & inter beatitudinem Accidentalem, quæ in variis animæ, & Corporis ornamentis*

namentis ultra Essentialem beatitudinem, Electis in vitâ futurâ conferendâ consistet. Una ergò beatitudo erit Essentialis, sed graduum Accidentalium erit diversitas, & inæqualitas.

Huic vero nostræ sententiæ opponunt sese nonnulli ex Calvinianis (à quibus tamen multi dissentiunt) asserentes, nullam futuram esse graduum ac præmiorum inæqualitatem Accidentalem in vitâ æternâ. Hujus sententiæ patronus primus fuit superiori seculo *Petrus Martyr in LL. Commun. Class. 3. c. 17. §. 8.* Postquam enim demonstrare conatus erat ex *1. Cor. XV. 41.* non posse præmiorum diversitatem in vitâ æternâ colligi, subjungit p. 734: *Hæc à me non dicuntur, quod probare velim, ibi esse prorsus æqualitatem, sed assero, neutrum ex S. literis confirmari posse.* Paulò post p. 735 respondere vult ad omnia scripturæ dicta, & argumenta, quæ pro diversitate præmiorum adducuntur, & tandem concludit p. 736: *Hæc à me non dicuntur, quo prorsus negem, hujusmodi præmiorum differentias, sed id tantum dicere volui, quod ex Scripturis S. concludi non possint.* Audacter ergò negat, sententiam hanc in Scriptura S. esse fundatam. Approbat eandem etiam *Tilenus Part. 2. Disp. Th. Disp. 68. th. 33,* ubi sic scribit: *In Scriptura nullum satis idoneum hujus diversitatis (graduum sc. & præmiorum in vitâ æternâ) testimonium reperimus.* Audacior his est *Schönfeldius,* qui non tantum ex Scriptura S. hanc præmiorum diversitatem non posse probari palam asserit, Sed eandem quoque prorsus negat. Ita enim in *Disp. de vitâ ætern. Cassellis habita Anno 1604, th. 78: Disparitas beatitudinis in nullâ ejus parte è scripturis ostendi potest, nec in unione cum Deo, nec in visione Dei, nec in dilectione, justitia, & lætitia, nec in clarificatione corporum, nec in domicilio, nec sanctorum consortio, neque gloria; Nulla igitur erit inæqualitas.* Distinctionem hanc inter ipsam vitam æternam, & gradus gloriæ superioribus annis etiam negavit *D. Horneus in iterata Assertionem contra D. Rothmalerum §. 97. 108. & 109.* Sed hæc sententia à veritatis tramite prorsus aberrat. Certum enim est, beatorum omnium felicitatem, & gloriam unam quidem fore objectivè, quia beatitudinis objectum omnibus beatis commune est Deus; unam subjectivè, quia omnes animæ potentia, & omnia corporis membra cœlesti gloriâ ornabuntur; Unam ratione dilectionis, & communicationis inter omnes vigentis, quia ob sincerissimam charitatem cujuslibet beati gaudium erit omnibus commune; Interim non obstante hoc, certum etiam hoc est, fore quandam inæqualitatem, & gloriæ diversitatem apud beatos, Accidentalem scilicet, quod paulò post pluribus ex Scriptura probabimus. Et hoc est, quod *Apologia August. Confess.* expressè docet, quando pag. 137 ita loquitur: *Fatemur & hoc, quod sæpè testati sumus, quod etsi justificatio, & vita æterna ad fidem pertinent, tamen bona opera mereantur alia præmia corporalia, & spiritualia, & gradus præmiorum, juxta illud: Unusquisque accipiet mercedem juxta suum laborem.* Etiam si verò, quod *D. Horneus* objicit, conjuncta sint gloria, & gradus gloriæ, ut qui gloriæ gradus accipit, etiam ipsam gloriam accipiat, interim tamen hoc non fit vice versâ, ut qui gloriam accipit, etiam ipsos gradus

gradus gloriæ accipiat. Falsum enim est, quod iterum objicitur, *nullam esse vitam æternam, quin saltem unum, & primum habeat gradum*. Nam gradus superadditur gloriæ tanquam accidens subjecto. Deinde negamus etiam, eodem modo gradus promissos esse, quo ipsa vita æterna promissa est. Nam vita æterna omnibus Electis ex æquo promissa est, non ita gradus gloriæ, utpote qui doctis, vel intelligentibus, & erudientibus multos ad justitiam tantum sunt promissi, *Dan. XII. 3.* de quâ re nunc plura.

Quia itaque *Petr. Martyr, Tilenus, Schönfeldius*, & qui cum ipsis faciunt, sententiam hanc ex Scriptura S. probari haut posse, audacter asserunt, ideo ipsis tantummodo duo loca hâc vice opponamus, quæ hanc rem clarissimè demonstrabunt. Primus extat *Dan. XII. 3.*, ubi, propheta postquam ex Spiritu S. inspiratione prædixerat, quod multi, (omnes) qui dormiunt in pulvere terræ, sint evigilaturi, & alii quidem in vitam æternam, alii verò in opprobrium, mox hæc subjicit: והמשכילים יזהרו כזהר חרקיע ומצריקו הרבים ככוכבים לעולם ועד: id est ex versione Pagnini: *Et intelligentes fulgebunt sicut splendor firmamenti, & justificantes multos, sicut stellæ in seculum, & in æternum*. Vulgatus ita: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Ex quo loco ita argumentamur: Quæ & qualis est differentia splendoris firmamenti, & stellarum, ea & talis est differentia discentium, & docentium, qui sunt resurrecturi. Atqui differentia splendoris firmamenti, & stellarum est secundum diversitatem graduum claritatis. Ergò etiam differentia discentium, & docentium, qui sunt resurrecturi, erit secundum diversitatem graduum claritatis; Et per consequens, dabitur ibi præmiorum diversitas. Neque objici potest, quod hîc sit exegesis, & unius, ejusdemque sententiæ repetitio, ita ut sint subjecta eadem, quia *illi*, qui sunt docti, & *illos docent*, & *illi*, qui ad justitiam erudunt multos, profus sint iidem. Falsum hoc est. Diverfa enim subjecta exhibent ista duo participia והמשכילים *intelligentes*, & מצריקים *justificantes*. Participium enim והמשכילים ponitur neutraliter, & intransitivè, ut significet *doctos, intelligentes, informatos in Religione vera*, non verò *Doctores*, qui alios informant. Probamus hanc nostram sententiam, quia i. vox והמשכילים aliquoties occurrit apud *Danielem* in participio, semper autem intransitivè, nunquam transitivè, ut v. 10. hujus Capituli: והמשכילים יבנו & *intelligentes intelligent*. Confer *Cap. I. 4. Cap. XI. 33. & 35.* Non igitur opus est, ut novam introducamus vocis significationem, & quidem uno in scriptore, imprimis cum idem author eadem voce haut diversimode, & in diversa utatur significatione. 2. vel והמשכילים idem sunt cum מצריקים, vel diversi ab illis. Si iidem, perperam illis attribuuntur prædicata diversa, videlicet alia, atque alia gloria; si diversi, & per מצריקים intelliguntur Doctores, qui alios ad justitiam erudiunt, tunc hic significatus haut attribui potest voci והמשכילים, aliàs enim non essent diversi. 3. Oppositio quædam hîc instituitur inter והמשכילים & מצריקים. Patet hoc ex ו præfixo, quod utriusque præfigitur, & adversativè h. l. sumitur; והמשכילים & *discentes, intelligentes* splendebunt sicut firmamentum, והמשכילים & *at justificantes*, ut stellæ. De hâc significatione præfixi ו Confer

D. *Glasium* l. IV. *Philol. S. Tract. I. Observ. 7. p. 688.* 4. Confirmant hanc expositionem nobiliores Versiones, LXX. *Interpp.* verterunt *συνίεντες*, *intelligentes*. Eodem modo *Vulgatus*: *qui autem docti fuerint*; quam versionem etiam approbat D. *Lucas Osiander Paraphr.* in h. l. *Vatablus*: *Intelligentes fulgebunt*. Ita etiam *Pagninus*: *Intelligentes fulgebunt*. Subscribunt huic versioni, illamq; approbant D. *Gerhard. Tom. IX. LL. p. 956*, D. *Calovius in Bibl. Illustrat.* in h. l. p. 699. *Hacspan Part. 2. Not. Philol. p. 906.* Neque tamen exinde sequitur, quod hęc ratione plus glorię discipulis, quàm doctis tribuatur, de quibus in sequenti membro agitur, prout vult *Francisc. Junius Comm. ad h. l. pag. 289.* Nam de discipulis dicitur, quod fulgorem habituri sint sicut firmamentum, at de doctis, quod splendorem emissuri sint, sicut stellę: Jam verò nemo negabit, majorem splendorem de se emittere stellę, quàm firmamentum. *In stellis enim*, inquit *Cornel. à Lap. Comm. in h. l. p. 1091*, *Et lux densior, Et ad res alias illuminandas efficacior.* Tacemus, quod explicatio hęc (si per utramque vocem *משכילים* & *מצדיקים* Doctores tantummodo intelligerentur) magnum involvat, & pariat absurdum. Hęc ratione enim sequeretur, Doctoribus tantum, sive doctis splendorem, & gradus glorię in vitã æterna promitti, discipulis verò, sive auditoribus, qui in via domini rectè instituti sunt, & bonum certarunt certamen, imò qui Martyriis sunt coronati, nihil splendoris, & nullum glorię gradum promitti, & relinqui, quod falsum, cum propheta *Daniel* utrisque tam discipulis, quàm doctis, qui persecutionibus AntiChristi erant expositi, hanc consolationem suppeditet. Tacemus quod *pietas apud omnes promissionem habeat hujus Et futura vita* 1. *Tim. IV. 8.* Sicut ergò differentia erit pœnarum in Inferno tam respectu discipulorum, & qui informati fuerunt, quàm respectu doctis, & qui alios informarunt, *Matth. XI. 24*: Ita vi oppositionis etiam differentia erit præmiorum in vita æterna respectu discipulorum, & doctis, vel qui alios ad justitiam erudiunt. Quę omnia satis ostendunt, gradus præmiorum in vita æterna certò esse futuros.

Quò verò hęc sententia dilucidior evadat, subjungamus etiam clarissimum locum ex *Nov. Testam.* & quidem ex 1. *Cor. XV. 41*, ubi Apostolus ita: *Ἄλλη δόξα ἡλίου, ἢ ἄλλη δόξα σελήνης, ἢ ἄλλη δόξα ἀστέρων. ἀστὴρ γὰρ ἄστρῳ διαφέρει ἐν δόξῃ;* id est: *Alia claritas est Solis, Et alia claritas lune, Et alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt claritate.* Unde sic: Quale discrimen est inter claritatem solis, lune, & stellarum, tale quoque discrimen erit in claritate Corporum resuscitatorum. Sed inter illa tale est discrimen, ut unius claritas major sit claritate alterius. Ergò etiam inter Corpora ad vitam & gloriam suscitata, tale erit discrimen, ut unius claritas major sit claritate alterius. Sed reponunt, qui hęc diversum sentiunt, *diversitatem illam ab Apostolo statui tantummodo inter corpus, quod in morte deponimus, Et quod in Resurrectione restaurabitur, non autem concludi aliquid de dispari gloria Corporum beatorum inter se.* Nam immediatè subjungi: *Seminatur in Corruptione, resurget in gloria.* Verum confundunt, quę distinctè proponuntur ab Apostolo. Nam divus *Paulus* primò astruit

astruit diversitatem corporum in sepulchro *ἐν ἀριμίᾳ* repositorum, & postea
 gloriosè resuscitatorum, v. 41. 43. 44, & 45. Deinde interspergit, v. 42. colla-
 tionem diversæ gloriæ, quæ corporibus piorum resuscitatis continget. Nam
 ne quis verba versus 42. trahat ad corpora, in sepulchro adhuc recondita, im-
 pedit diversa claritas, in quâ corpora ista conferuntur cum corporibus in
 sepulchris repositis, quibus nec claritas, nec gloria, sed *ἀριμία*, & *Φ. Δ. ὄρα* ab
 Apostolo tribuitur. Constat ergò ex hoc loco, præmiorum diversitatem
 clarè astrui. Palmarium autem argumentum, quod *Petrus Martyr*, alii-
 que, qui cum ipso faciunt, contra nos urgent, est locus *Matth. XX. 13.* ubi
 laborantibus in vinea idem datur denarius. *His qui laborarunt in vinea,*
vario ac dispari labore, inquit P. Martyr c. l. *datur æquabiliter denarius, &*
murmurantibus paterfamilias obstat, & justè se facere ostendit, neque se
excusat distinctione præmii substantialis, & Accidentalis. R. Per denarium
 non potest intelligi vel Essentiale, vel Accidentale præmium vitæ æternæ.
 Sequeretur enim aliàs, murmurantibus contra Deum vitam æternam ob-
 tingere, & pios per integrum diem laborantes majus aliquod præmium
 suorum operum postulare, quàm est vita æterna, imo vitam æternam dari
 iis, qui non sunt electi. Idem enim in hâc parabola sunt primi, qui non
 sunt electi, ut ex Epiphonemate subjecto colligitur. Per denarium itaque
 & mercedem h. l. intelligitur *jus ad vitam æternam.* Hoc omnibus offer-
 tur hâc in vita. Multi etiam accipiunt, sed per incredulitatem iterum à se
 rejiciunt. Hæc sententia probatur, quia vinea, in quam ad labores vocan-
 tur operarii, non est cælum, aut Ecclesia triumphans: Sed denarius hic sol-
 vitur in vinea, in quam ad labores vocantur operarii. Ergò hic denarius non
 solvitur, & accipitur in cælo. Certum ergò manet, quod per hunc denarium
jus ad vitam æternam denotetur. Qui itaque hoc jus verâ fidè accipiunt, illis
 simul cum ista vita promittuntur præmia temporalia, & æterna. In hoc
 parabolæ scopo unicè subsistendum, nisi velimus multa incurrere absurda.
 Vide hîc imprimis *D. Henr. Höpfneri Disp. X. de Justific. Aphor. I. II. Pontificio §.*
24. Hoc ergò manet firmum, gradus gloriæ in futura æterna vita certò esse ex-
 pectandos. Hanc sententiam primitivæ Ecclesiæ Doctores quoque calculo suo
 approbant, & confirmant. Ita *August. lib. XXII. de Civ. Dei Cap. 30: Qui futu-*
ri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum, atque gloriarum,
quis est idoneus cogitator, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint,
non est ambigendum. Idem *Serm. CXLIII. de Temp: Sanctorum corporibus*
promissa est claritas, & diversa species claritatis. Nempe unusquisque sta-
bit in sorte sua, Patriarchæ, & prophete in sorte sua: Apostoli in sorte sua;
Evangelistæ in sorte sua: Pastores & Doctores in sorte sua: alii denique fide-
les in sorte sua. Idem *Sermon. CXCI. de Temp: Unam credimus sanctorum*
esse vitam omnium, sed præmia pro labore diversa, & è contrario pro modo
delictorum, peccatorum quoque esse supplicia. *Fulgentius de fide ad Petrum*
c. 28: Diversa erit Sanctorum gloria, sed una erit omnium vita æterna. *Gre-*
gorius I. IV. Moralium Cap. XXXI: Quia in hâc vita nobis est discretio ope-
rum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo hîc alius alium
meri-

PK 262910
meritis superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in Evangelio Veritas dicit: In domo Patris mei mansiones multae sunt, sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non accepit, hoc se accepisse in alio exultet. Nolumus hic plura ex Patribus cumulare testimonia, cum chartae angustia haec excludat, neque instituti ratio, dum brevitati studemus, id permittat. Haec verò omnia sententiam nostram de diversitate graduū, & praemiorum in vita aeterna satis confirmant, & dilucidant.

Quo fine nunc haec à nobis proponantur, paucis edisserendum est. Nimirum annus crastino die elapsus est, quando in Ecclesia militante magnus Theologus, Vir summè Reverend. Magnificus, Ampliff. atq; Excell. Dn. MARTINUS GEIERUS, SS. Th. D. Celeberrimus, & de universa Ecclesia Orthodoxa meritisimus, Sereniss. Sax. Electori JOH. GEORGIO II. gloriosissimae recordationis, à Confessionibus sacris, item à Conc. aulicis primariis, & Consil. Ecclesiasticis, ὁ ὡν ἐν ἀγίοις, vitam cum morte commutavit. Merita hujus Theologi in Ecclesiam Orthodoxam haut vulgaria fuerunt. Nam tam voce, quam publicis praclaris scriptis per multos annos non sine singulari emolumento illam erudit. Merito ergò asserimus, ipsum tanquam insignem, & meritissimum Doctorem, qui tam in Academia, quam in aula multos ad justitiam erudit, non tantum beatorum consortio jam esse ascriptum, sed etiam gradus gloriae insignes accepisse, & tanquam splendidam stellam inter caelites fulgere in perpetuas aeternitates, prout propheta Daniel loco supra explicato loquitur. Quandoquidem verò fas est, ut juxta monitum Apostoli Hebr. XIII. 7, memoria Doctorum nostrorum conservetur, hinc quamvis ante anni decursum pie obdormivit, nondum tamen ex animis nostris praclarissimi hujus Theologi memoria deponenda est. Ea de causa Collegium nostrum Theologicum, quia antehac membrum quoque ipsius praenobile fuit, decrevit crastino die, Deo dante, parentalia in ipsius honorem, & beatam recordationem instituire. Eum ob finem, de summi hujus Theologi vita, virtutibus, & meritis orationem habebit Orator disertissimus, Vir plurimum Reverendus Ampliff. atq; Excell. Dn. VALENTINUS ALBERTI, SS. Th. D. ejusdemq; P. P. Extraordinarius, Log. verò, & Metaph. Ordinarius celeberrimus, Collega, & amicus noster honoratissimus. Magnificum ergò Academ. Rectorem, ut & Procures utriusque Reipubl. & cives nostros Academicos decenter, & officiosè compellamus, velint in honorem Magni istius Theologi defuncti, crastino die, Deo dante, post peracta sacra matutina in Auditorio Major. Princip. Collegii honorificè sua praesentia comparere, & facundo Oratori a breve temporis spatium aures vacivas praebere. Postulat hoc pietas ergo beatè demortuum, imò merita summi hujus Theologi hoc ultimum honoris officium efflagitant. P. P. die XI. Septembr. qui erat Dominica XV. post Trinit. Anno Christi M. DC. LXXXI.

Typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

F. N. 56. (33)

X2047354

Zb
2910

Ad
ORATIONEM

parentaler

in obitum

VIRI SUMME REVERENDI, MA
ATQUE EXCELLEN

DN. MAI
GEIE

S.S. Th. Doct. celeberrimi,
Electori JOH. GEORGIO II
tionis, à Concionibus aulicis primariis, Con
clesiasticis, Theologi de Univerfa orth
ritissimi, & vvv cv

crastino die XII. Septembr. Ho

post peracta sacra, in Colle
habendam

Magnificum Academiae F
Reipubl. proceres, ac c

humaniter, & offici

COLLEGII TH

DECAN

GEORGIUS

Th. D. & Prof.



X

